IN CIRCUMCISIONE
DOMINI
ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N. PP.

BENEDICTUM XIV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QUAM

Emo, & Rmo Domino, Domino

CAROLO MARIÆ

S. R. E. Tituli S. Mariæ in Aquiro Diacono.

CARDINALI SAGRIPANTE.

FRANCISCUS XAVERIUS LUZI ROMANUS

Clericorum Regularium Minorum D. D. D.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VATICANA

M DCC XLII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Eminentiſs. , & Reverendiſs.

P R I N C E P S.

H*Umanitas tua erga me* , E*MINENTISSIME* P*RINCEPS*, *animum meum impulit , ut tibi orationem hanc adſcriberem , quam in Sacello Pontificio dicere ſum juſſus . Equidem ſcio opus minimum non bene reſpondere nomini tanto : ſed & mens cogitat præcla-*


Digitized by Google

ros, vel dignitate; vel virtute viros libenti animo excipere etiam minuſcula; intuentur enim ſincerum cor, exhileſque vires donantis. Vellem eſſe par aliquo meo munere altitudini Dignitatis tuæ, & virtutis; ſed quoniam deeſt modus, benignitas tua perficiet in me, quæ te ſunt digna. Utinam exitus conſonet votis; & quemadmodum te cupio erga me benignum; eò magis te grandem videam in Eccleſia Dei, cujus Purpura decoraris. Ita deſiderat,

Eminentiæ Veſtræ

Humillimus Servus
Franciſcus Xaverius Luzi Cler. Reg. Min.

ORA-



ORATIO.

SI lætitiæ cauſam, Beatiſsime Pater, deſumere fas eſt vel ex optati finis aſſequtione, vel ex viciniori ſpe finem acquirendi; nemo eſt, qui non videat, quanta gaudii ratio noſtrùm omnium corda in præſenti Divinæ Circumciſionis die perfundere debeat, qua humanæ ſalutis Auctor *introivit ſemel in ſancta, æterna per proprium Sanguinem redemptione inventa*. Carnem aſſumpſerat hominem redempturus; & quia idem ipſe Salvator Deus erat offenſus; & Reconciliator idem ipſe Victima futurus erat, & Sacerdos; Victima quidem amoris in hominem; Sacerdos quidem

dem vindictæ in peccatum; ut monſtraret utrumque, vix natus propinat ad Redemptionem, inimico bellum indicit, misericordiam à Patre expoſtulat. Oh quanta in uno opere Salvatoris redundant Myſteria!

Favete animis, precor, favete oculis. His pictam illam inſpicite tabulam; licebit viſere Sacerdotem cultro vulnus infligentem. Quiſnam amoris lacrymas cohibere poterit, dum oculi hæc vident? Sed & cujuſnam animus ad Myſterium converſus in meditatione operis tanti non obſtupeſcet? Cur inquiet tam citus properat ad Sanguinem tenellus Infans? Reſpondebit Pſalmiſta: *Quia exultavit ut Gigas ad currendam viam*. Et oh quales direxit greſſus in via! Dixerim jam ſoluta mortis vincula, dum oculi Infantis JESU vulnus aſpiciant; niſi animus intueretur Patientis cor ad majora feſtinantis. Dixerim jam attigiſſe metam, cum jam oculi perſpiciant ad Sanguinem uſque eſſe perventum: niſi mens, fidei veritatibus innixa, compertum haberet amoris infiniti hæc eſſe initia. Dixerim tandem recluſas Paradiſi portas cum oculis plaga conſpicitur; niſi & cogitatio copioſam pendens Redemptionem, perfectiora, & ſublimiſſima divinæ pietatis opera expectaret.

Reco-

Digitized by Google

Recogitat mens Infantem hunc Solem illum eſſe Juſtitiæ, de quo dictum eſt *Sol cognovit occaſum ſuum*; quia ſicut Sol, dum oritur, ſuis radiis eò pervenit ubi occidit; ita ſimili quodammodo Chriſtus amans vix aptus vulneri, à Sanguine orditur Redemptionem, quæ per Sanguinem copioſiſſimum in Golgotha perfectiſſimè erat explenda. Item in mentem revocat animus, Infantem hunc oblatum fuiſſe quia ipſe voluit: & quoniam ipſe voluit offerri, petiit, vix lucem ingreſſus, eſſe ſponſus Sanguinum: meminerat enim ſe aliquando per Prophetam loqutum dixiſſe: Sum Agnus occiſus ab origine Mundi.

Liceat nunc mihi quoque cum Cipriano exclamare: *Amor Chriſti crudelis Amanti fuit*. Amor enim, miſericordiæ indeficientes fontes adaperiens, docuit ſemitas Salvatorem, ut, vix octavum ab ortu vivens diem, nomen ſibi indefectibile acquireret per Sanguinem effuſum, per vulnus atrox, per copioſiſſimam, ni crudeliora perpeti exoptaſſet, hominis Redemptionem. Unde bene nunc profiteretur intentum S. Petrus Damiani, ſi diceret: *Data eſt copia ut virtus diligentis in beneficii redundatione clareſceret*.

Gaudeamus igitur omnes in Domino, iterùm dico gaudeamus; jam enim illata ſunt

ſunt in hoſtem tela, jam conclamatum eſt pugnæ. Eramus enim filii iræ ſub Diaboli poteſtate. A pluribus jam ſæculis pluebat Deus ſuper nos bellum ſuum, cum primo cadente homine ſimul omnes cecidimus; & vinculis mortis trahebamur quòcumque ſuperbiens inimicus circumligatos deducere volebat: nec inveniebatur qui ſe murum pro Iſraël poſſet opponere. Atque in eum planè modum, quo latiſſimi cæteroquin fluminis curſu per longa terrarum ſpatia procedente continuò in dies creſcit aquarum ingluvies, impetùs furor in maximam agrorum, arvorumque perniciem; nulluſque ſatis tutus tam magno incremento agger opponi poteſt, quin omnia ſi non ruinis trahat, ſaltem timore concutiat: non abſimili ſanè ratione longo ſæculorum ante hunc deſideratum cunctis gentibus diem flumen Dei vindicis repletum erat aquis; hoc eſt; ſinebat ira Dei humanum genus luere ſub diabolica poteſtate, quæ ſibi, quidquid divinum erat honoris, & dignitatis, vindicabat. At ubi hodierna die Sanguis ille *noſtri generis ſocius, noſtræ contaminationis alienus* effuſus eſt; cœpit jam minui Diaboli poteſtas, & promitti nova pax hominibus bonæ voluntatis. Tunc hoſtis neſciens unde motum eſſet bellum, ſenſit ſe jam oppu-

oppugnari, arcum conteri, arma confringi, ſcuta comburi, præliumque in ſe inferri, qui jam Victor ſine adverſario videbatur.

Miramini fortaſſe cur non cognoverit adverſarium? Attendite quæſo quàm diverſis præliatum ſit armis. Diabolus per ſuperbiam præceps corruit, & in pœnè ſimilem abyſſum noſtrum genus inclinaverat: Salvator per humilitatem ſuam, noſtram elevavit miſeriam. Ille per opes, & commoda noſtram detinebat præpeditam libertatem: Redemptor pauper, & neglectus apparens in filiorum libertatem nos regeneravit. Ille per inobedientiam in Mundum mortem invexit: JESUS per obedientiam vitam redonavit. Hæc fuerunt belli initia per proprium Sanguinem, qui, poſtea ſervatus ad Crucem, tartareas poteſtates erat ad noviſſimam uſque internecionem debellaturus.

Sed quoniam uſque modo vulnus, & Sanguinem divini Infantis perſpeximus, paulisper etiam mente penſemus Pueri cor clamantis ad Patrem. Pater veni quærere perditas oves, ſatisfacere pro pœnis, veniam petere pro offenſis. En Sanguis Filii, Unigeniti Filii tui. Miſericordiam dixiſti te velle non ſacrificium; quoniam pro homine Filius innocens immolandus erat, ſalvandus homo

Digitized by Google

mo peccator. En tibi dono memetipſum pro homine redimendo, pro peccato deſtruendo. Solus amor largitur in Circumciſione Sanguinem, quem in Cruce Juſtitia requiret.

Ad has voces, ad hunc Sanguinem agnoſcere amabiliùs cœpit Deus quos creaverat homines; & opera manuum ſuarum non deſpexit. Hunc fructum ubi primùm terra noſtra protulit, dedit & Dominus benignitatem; & quomodo miſeretur Pater filiorum; quomodo obliviſci non poteſt mater infantem uteri ſui, ita planè tam fauſto die reſpexit Dominus ſuper filios hominum, oſtendens, ut loquar cum Auguſtino, *vim excluſam primæ ſententiæ, expletam benedictionem, gratiam reſtitutam*. Sanguis iſte clamorem extulit miſerationis; pacis fuit exordium, amoris fuit ſignum, iram ſedavit, miſericordiam provexit. Oh utinam poſſit canere Agnus iſte de omnibus *Inveni ovem quam perdideram*! Quàm tunc cara ei eſſet feſtinatio ad Sanguinem; carior pugna cum hoſte; cariſſima inventa miſericordia!

LAVS·DEO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google